Caesar, Gaius Iulius; Glareanus, Henricus Loriti [Oth.]: C. Ivlii Caesaris Commentarii
Friburgi Brisgoiae, 1546 Seite 307



antecedere, reliquas subsequi iußit, ut non longo inter se spatio castra facerent, eiq; negocio Q. Fusium Calenum legatum præfecit. Hoc eius præscripto ex Hispania ad Varum flumen est iter factum, atq; ibi reliqua pars exercitus dimissa est.

Vid. infr. Glareani annotationes pag. 112.—121.

# C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIuili liber secundus.

DVM hæc in Hispania geruntur, C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationem Maßiliæ relictus erat, duabus ex partibus aggerem, uineas, turresq; ad oppidum agere instituit: una erat proxima portui, naualibusq;: altera ad partem, quà est aditus ex Gallia, atq; Hispania ad id mare, quod adigit ad ostium Rhodani. Maßilia enim ferè ex tribus oppidi partibus mari alluitur. reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra, huius quoque spatij pars ea, quæ ad arcem pertinet, loci natura, & ualle altißima munita, longam, & difficilem habet oppugnationem. Ad ea perficienda opera C. Trebonius magnam iumentorum, atque hominum multitudinem ex omni prouincia uocat, uimina, materiamq; comportari iubet. Quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinē pedum octoginta extruit. Sed tanti

C. Trebonius Massiliam oppugnat.

Massiliæ situs.



© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/caesar1546/0342